

ministrator et non dominus bonorum ecclesiasticorum. At justa interveniente causa servatis solemnitatibus juris, possunt praelati magnas etiam donationes facere, immo etiam de rebus immobilibus et mobilibus pretiosis. Hæc vero dispositio descendit ex conceptu donationis quæ exhibet contractum præjudiciale et veram alienationem. Hinc aliter factæ donationes possunt et debent revocari non solum ab ipso praelato donante, sed etiam ab ejus successoribus juxta ea quæ diximus in *tit. De Reb. Ecclesie alien. vel non.* Causæ sunt ratio remunerationis et ratio pietatis et misericordiæ. Quod vero legitima interveniente causa, et accedente juris solemnitate possit praelatus donationes etiam magnas perficere patet ex *c. 5. h. t.* in quo ex causa remunerationis probatur uti valida et licita infundatio, quæ refert speciem donationis. Porro possunt praelati et rectores donationes parvas facere ex mera liberalitate, licet nempe non adsit gravis causa, præsertim ubi adsit consuetudo. Permittuntur vero hæ parvæ donationes etiam, ut avaritiæ suspicio ab Ecclesiæ ministris removeatur.

11. Si de religiosis sermo sit distinguendum est inter praelatos monasteriorum, et simplices religiosos. Praelati, cum censeantur habere ordinariam administrationem bonorum monasteriorum suorum et familiæ religiosæ, æquiparantur Clericis sæcularibus regimen Ecclesiæ alicujus habentibus, scilicet pastoribus Ecclesiarum. Hinc quoad superiores ordinum valet regula supra exposita in ordine ad praelatos sæculares.

12. Religiosi vero, si administrant beneficium unitum Monasterio ex. gr. parœciam, ex qua fructus et emolumenta derivant, possunt quidem parvas et ordinarias donationes perficere, præsertim titulo eleemosynæ, non vero magnas. Ita Doctores communiter. Religiosi autem intra septa monasterii viventes, nec aliquo beneficio instructi, nullamque administrationem peculiarem exercentes, neque parvas donationes facere possunt absque superioris licentia saltem tacita *arg. c. 6. De statu monachor. et can. 11. c. 2. q. 1.* Censentur enim nullum jus habere circa res monasterii citra usum personalem ad propriam sustentationem. Hac in materia de prohibitione donationis religiosorum conferri possunt Const. Clem. VIII. *Religiosæ Congregationis*, et Urbani VIII. *Nuper a Congregatione.*

TITULUS XXV.

De peculio clericorum.

1. Clericus ex eo quod est Ecclesiæ mancipatus, de bonis ejusdem vivit, quorum bonorum regulariter habet etiam administrationem. At non prohibetur possidere bona quæ propria ejus sunt et constituent ejus peculium, idest privatam patrimonium. Nomine igitur peculii venit: 'Quidquid clericus habet in bonis distinctum a bonis Ecclesiæ'. Quæ denominatio inducta est per similitudinem ad jus civile, juxta quod admittitur peculium servorum, et filiorum familias constans ex rebus distinctis a bonis domini vel patris. Ex hoc conceptu sequitur peculium clerici non subjici dispositioni *tit. De rebus Ecclesie alien. vel non.*

2. Quadruplex est peculium clericorum. Primum appellatur patrimoniale, et componitur ex illis bonis, quæ clerico obvenerunt ex titulo aliquo civili ex. gr. successione, contractu, vel profana, sed non prohibita industria. Secundum peculium dicitur quasi patrimoniale, seu industriale quod componitur ex bonis quæ citra redditus beneficii sui, et absque intuitu beneficii sibi clericus comparavit labore speciali vel honesta industria in muneribus ecclesiasticis obeundis, vel in officiis sacri ministerii adimplendis ex. gr. in prædicatione verbi Dei. Hoc patrimonium respondet peculio castrensi vel quasi castrensi Romanorum. Tertium peculium est parsimoniale, et resultat ex illis bonis quæ sibi clericus comparavit subtrahens aliquid ex redditibus ecclesiasticis destinatis ad honestam vitæ sustentationem. Parsimoniale dicitur hoc peculium, quia parce vivendo illud sibi clericus comparavit. Quartum est propriè dictum ecclesiasticum, et appellari potest beneficiale peculium illudque resultat ex fructibus bonorum Ecclesiæ, quos suos facit clericus munia beneficii sui adimplens, et excedunt propriam clericus sustentationem. Unde hoc peculium comparat sibi clericus ex superfluis fructibus, vel distributionibus et ex redditibus pariter superfluis, quos ex. gr. parochus vi muneris parochiali beneficio adnexi percipit *cap. 9. De test.*

3. Quæstio quæ prima a DD. proponitur est utrum clerici cujuslibet peculii habeant dominium seu proprietatem. Certum est clericos pleno jure possidere bona patrimonialis peculii ceu expresse docet *c. 9. de Test.* Ratio est quia in iis quæ clericus assequitur ex titulo honesto, et proprio æquiparatur cæteris civibus,

ac proinde censetur rerum suarum dominus. Idem dicunt DD. tenendum esse de bonis peculii quasi patrimonialis; nam censetur esse bona acquisita ab ipso clerico ratione sui laboris, et industriæ absque intuitu beneficii; sunt scilicet pura merces laborum.

4. Insuper clerici habent plenum dominium etiam de bonis peculii parsimonialis. Nam si jure potuissent ea bona in proprios usus absumere eo ipso censentur hæc bona in dominium transiisse clericorum. Unica difficultas deducitur ex eo quod peculium hujusmodi conficiatur ex fructibus bonorum Ecclesiæ, et beneficii quod clericus possidet. At hac in re sciendum est, peculium quod ex fructibus beneficii componitur, distingui a doctoribus in peculium necessarium, et superfluum. Nomine peculii necessarii venit ea pars fructuum beneficii, quæ ad honestam clerici sustentationem requiritur. Jam vero ex doctrina sacrorum canonum hoc peculium necessarium censetur esse proprium clerici ita ut habeatur loco rigorosæ mercedis, et stipendii laboris personalis, quem in Ecclesia exercet. Aperte traditur hæc theoria ab Innoc. III. in *c. 18. De præb.* Igitur pars fructuum constituens hoc peculium habenda est veluti separata a bonis Ecclesiæ, et adsignata, et adscripta pro labore tamquam merces, et stipendium. Ex quo sequitur Ecclesiam non posse iterum partem eandem fructuum peculii ecclesiastici necessarii sibi vindicare. Ceterum caveant clerici ne ut parsimoniale peculium augeant, abjectione et sordibus vilescant.

5. Si quærat quomodo computanda sit honesta sustentatio clerici, ut determinetur quodnam sit peculium ecclesiasticum, dicendum est regulam generalem proponi non posse. Præ oculis tamen haberi debet dignitas personæ, ejus gradus seu civilis origo, scientia et aliæ qualitates personales quæ minores vel majores exigentias secumferunt, nec non respicienda est 1º. temporis locique ratio; 2º. moderata hospitalitas non solum pauperum de qua in *Trid. sess. 24. c. 8. de Ref.* sed etiam consanguineorum, et extraneorum paupertate non laborantium; 3º. honesta recreatio; 4º. probabile periculum, si adsit venturi morbi, sterilitatis etc. In genere attendi debet in hac computatione prudens agendi ratio et usus clericorum proborum, qui in eadem conditione versantur. Ex quibus jam fluit clericos habere plenum dominium peculii quarti generis, seu peculii beneficalis seu ecclesiastici quoad eam partem quæ destinatur eorum honestæ sustentationi, seu peculii ecclesiastici necessarii.

6. Quid vero dicendum de peculio ecclesiastico superfluo? Peculium hujusmodi conflatur ex fructibus beneficii, vel intuitu beneficii perceptis: qui clerico supersunt defracta prius congrua portione pro ejus honesta sustentatione. Veteres fere omnes Canonistæ, et theologi docuerunt, horum bonorum verum dominium non esse penes clericos. Ex hac sententia descendit clericum, qui impendit bona Ecclesiæ superflua in causas profanas, teneri ex justitia ad restitutionem; impendit enim, et distrahit quod suum non est. Hujus sententiæ patroni sequentibus argumentis utebantur. 1º. Inmitembantur pluribus locis juris in quibus traditur res Ecclesiæ esse patrimonium Christi, et pauperum, et pretia peccatorum. Quare, sublata portione, quæ tenet locum mercedis, seu stipendii pro labore clericorum, reliqua portio remanet sacra, nec in profanos usus convertenda est. Ita *can. 59. c. 16. q. 1. et c. 1. c. 12. q. 2.* 2º. Clerici dicuntur administratores, et procuratores, vel dispensatores non vero domini bonorum Ecclesiæ. Ita *can. 28. c. 12. q. 1. et c. 23. c. 12. q. 1. et c. 2. De donat.* 3º. Si clericus ex rebus Ecclesiæ vel oblationibus res proprio vel alieno nomine comparaverit, res hujusmodi censentur non clerici propriæ sed Ecclesiæ *c. 4. h. t.* Cui dispositioni cohæret dispositio *cap. ult. h. t.* in quo prohibetur absolute ne clericus relinquat testamentario aut successorio jure hæredibus suis vineolas quas plantavit in terra Ecclesiæ, sed conceditur clerico jus percipiendi fructus vineolarum istarum solummodo quousque vixerit. Scilicet ex duobus istis capitibus videtur clericus disponere non posse de bonis quæ supersunt suæ honestæ sustentationi.

7. At verior est contraria sententia quæ communior est inter Doctores recentiores. Ratio est quia in genere fructus beneficii, et proventus ecclesiastici ita adhærere officio sacro censentur ut habeantur ceu stipendia officii ipsius. Beneficium enim datur propter officium: seu jus percipiendi fructus est relativum officio sacro. Sane si clericus non satisfaciatur oneribus impositis ab Ecclesia ex. gr. nisi residentia legem observat, distributionum dominium non recipit, nec eas facit suas ceu ait Pontifex in *c. un. De Cler. non resid. in Eccl. vel præb. in 6º.* Neque pariter pro rata temporis absentia fructus facit suos, quemadmodum decernit Tridentinum in *sess. 23. de Ref.* Ergo a sensu contrario clericus qui officium suum implet, acquirit dominium distributionum et facit suos fructus omnes beneficii. Qui sensus positivus insinuatur etiam in

sess. 24. c. 12. de Ref. in eodem Tridentino. Nam Concilium supponit, clericum revera fecisse suos fructus præbendæ; ait enim: 'alioquin primo anno privetur unusquisque dimidia parte fructuum, quos ratione præbendæ et residentie facit suos'. Confirmatur probatio ex Const. Julii III. '*Cum sicut Nobis*' an. 1550. in qua Pontifex docet pecunias et alias res provenientes ex Ecclesiis vel beneficiis ecclesiasticis, cum pervenerint ad manus clericorum beneficiariorum, non amplius pro ecclesiasticis habere sed proprias esse ipsorum clericorum.

8. Neque valent argumenta ex adverso allata.

Nam canones in primo argumento adducti referuntur ad epocham anteriorem divisionis bonorum Ecclesiæ in varias præbendas, in vera beneficia. Hinc quisque clericus poterat recipere solum, quæ necessaria erant sustentationi suæ. Possunt etiam iidem canones in eum sensum accipi, ut abhorreant a conversione bonorum ecclesiasticorum in usus profanos. At non excluditur dominium clerici eo quod coarctetur usus horum bonorum, et excludantur usus profani, ceu videbimus infra.

Canones pro 2º. argumento non respiciunt directe fructus, sed ipsa bona Ecclesiæ quorum clerici sunt administratores, patroni, et dispensatores. Capita vero in 3º. argumento difficultatem non faciunt: quia in *c. 4. h. t.* agitur de bonis quæ acquisivit prælatus ex redditibus Ecclesiæ: non autem de bonis quæ acquisivit ex fructibus quos prælatus fecit suos. In *cap. ult.* autem agitur de melioramentis factis in fundo quæ ex lege generali fundo ipsi cedunt. Principium enim juris est 'qui in solo alieno ædificat (in casu nostro plantat) non sibi, sed domino ædificat'. Ad summum vero capita hæc evincunt non posse clericum pro suo arbitrio de bonis superfluis disponere. At aliud est jus proprietatis in re aliqua, aliud est exercitium juris ejusdem, idest libera dispositio rei ipsius. Potest enim aliquis esse proprietarius, et dominus aliquorum bonorum, quin possit de re sua pro arbitrio disponere ceu verificatur in casu pupilli. Hinc solummodo hæc capita objecta probant clericos male distrahentes superfluos fructus ecclesiasticos peccare ob abusum rerum, quas receperunt ab Ecclesia non vero contra justitiam ita ut teneantur res ipsas restituere.

9. Quæritur utrum dominium quadruplicis peculii clericorum superius explicati ita penes clericum resideat, ut pro sua libertate

et pro quacumque causa possit de quolibet peculio disponere. Profecto si sermo sit de primis tribus peculii speciebus nemo est qui dubitat; nulla enim lex est quæ clerici potestatem coërceat. At si sermo sit de peculio beneficiali superfluo non idem dicendum est. Nam ex dispositione præsertim Tridentina in *sess. 25. c. 1. de Ref.* patet ex lege saltem ecclesiastica teneri Clericum impendere peculium hujusmodi in usus pios. Et sane Tridentinum episcopis et aliis clericis beneficiatis 'omnino interdicit ne ex redditibus Ecclesiæ consanguineos familiaresque suos augere studeant, sed si pauperes sint, iis ut pauperibus distribuant'. Concordat *can. 16. dist. 86.* Ex qua dispositione arguunt DD. non posse clericum in usus profanos impendere redditus superfluos ex bonis Ecclesiæ perceptos qui nec suis consanguineis et familiaribus eosdem redditus tribuere potest excepto casu paupertatis eorundem. Sed clarius etiam id traditur in *c. 23. c. 12. q. 1.* ubi dicitur Episcopum rerum Ecclesiæ potestatem habere ad dispensandum erga omnes qui indigent et juxta præceptum Apostoli ipsum contentum esse debere si habeat victum et tegumentum.

10. Hac insuper in re plurimi facienda est communis Canonistarum et theologorum sententia, qui tenent clericum impendere debere in pias causas bona superflua, quæ ab Ecclesia assequutus est. Quare habebit utique clericus horum bonorum dominium sed arctatum in usu. Tradunt vero doctores nomine causarum piarum venire quodcumque opus sive religionis sive pietatis et misericordiæ: immo docent extraneis pauperibus posse Clericum propinquos pauperes præponere arg. *c. 1. sess. 24. de Ref.* et arg. *c. 16. dist. 86.* Insuper non diffitentur, in æstimanda paupertate propinquorum præ oculis habendam esse paupertatem relativam, quin immo præ oculis habendam etiam esse ipsam promotionem clerici, quæ exigere potest, ut ejus propinqui aliquantulum honestius vivant, ne humilitas status eorum nonnihil detrahat honori ipsius clerici. Concludendum igitur est clericis competere dominium plenum adeoque etiam liberam disponendi facultatem de bonis peculii sive patrimonialis, sive industrialis sive parsimonialis: de bonis autem peculii beneficialis superflui competere quidem proprietatem, sed eam coarctari quoad facultatem disponendi de iisdem ita scilicet, ut lege ecclesiastica prohibeantur clerici eadem bona convertere in usus profanos: sed debeant causis piis applicare. Unde si clerici bona ista ad causas profanas convertant non peccant quidem contra

justitiam, adeoque non tenentur onere restitutionis, sed peccant contra præceptum Ecclesiæ.

11. Ad tituli tractationem explendam, esset insuper evolvenda quæstio de jure clerici disponendi in causa mortis de peculio ecclesiastico. At hanc quæstionem enodabimus in titulo sequenti. Interim adnotasse juvat quasdam dispositiones juris in hoc titulo expressas. Ex *c. ult. h. t.* inferunt DD. meliorationes etiam notabiles peractas per beneficiatum in prædiis Ecclesiæ esse proprias ipsius beneficiati ita ut iis utatur et fruatur in vita sua tantum, eoque vita functo, in Ecclesiæ seu beneficii proprietatem penitus converti.

In *c. 3. h. t.* traditur principium quod nempe quidquid clericus acquisivit post ordinationem, si est presbyter, et post consecrationem, si est Episcopus, cedit jure successorio Ecclesiæ propriæ, cui fuerat intitulatus vel quam regebat. Præsumitur enim id fuisse acquisitum ex bonis ejusdem Ecclesiæ superfluis.

TITULUS XXVI.

De testamentis et ultimis voluntatibus.

1. In *l. 1. ff. Qui testam. facere possunt.* Modestinus definit testamentum: 'Voluntatis nostræ justa sententia de eo quod quis post mortem suam fieri velit'.

Voluntatis nostræ ad exprimendam personalitatem actus, et necessitatem libertatis in ultimis voluntatibus. *Sententia* scilicet ultima. Nam de natura testamenti est ut possit mutari, et revocari. *Justa*, quæ qualitas non tam virtutem justitiæ moralis respicit, quam formam legum. Hinc sententia justa idem exprimit ac voluntas manifestata juxta legum dispositiones. *De eo quod etc.* quia testamentum incipit vim habere post mortem testatoris, et enim ante mortem potest testator voluntatem suam mutare.

2. Quærunto doctores ex quo jure procedat testamenti condendi facultas.

Variæ proponuntur sententiæ. Nonnulli enim ex jure naturali testandi facultatem deducunt quamvis jus constituendi formam, et solemnitates testamenti auctoritati civili tribuant. Alii autem dicunt ipsum jus condendi testamentum procedere ex legibus humanis, ita ut in statu mere naturali facultas non existeret testandi. Alii tandem juris gentium esse testamentum docent. Certum est,

in facto testamenta et ultima elogia in usum fuisse apud diversas gentes longe ante conditas leges romanas. Hinc a veritate aberraret qui arbitraretur testamenti factionem esse opus juris civilis Romanorum. Juridice vero re spectata primam sententiam veritati magis consonam esse arbitramur.

3. Quare dicimus validis rationibus probari posse testamenti factionem a jure naturali repetendam esse. Et primo quidem testamentaria dispositio maxime congruit cum jure naturæ. Nam quicumque acquirit, sibi, suisque acquirere videtur. Hinc juri naturæ consonum videtur esse ut ex persona actualis domini designetur successor in dominio, et possessione rerum quas labore et industria ipse dominus fecit suas. Idipsum confirmat naturalis affectus, quo trahitur homo ad disponendum de rebus suis in ultimo elogio. At non solum intentio juris naturalis suadet, sed ipsum jus naturale secumfert testandi potestatem. Et sane supponimus demonstratum esse in philosophia morali dominium singularis proprietatis pertinere ad ipsum jus naturæ, ac proinde facultatem disponendi de rebus propriis a lege naturali procedere. Quibus positis, testamentum considerari potest, et est vera alienatio rerum suarum facta per actum ultimum voluntatis. Dominus nempe qui voluntate sua disponit de rebus propriis, alienat easdem ultimo voluntatis actu. Nemo autem negare potest ultimum actum voluntatis esse voluntatem domini ac proinde esse sufficientem ad exercendam dominicam potestatem.

4. At dicent adversarii valorem testamenti incipere a morte testatoris et voluntatem testatoris vires suas exercere quando amplius voluntas non est. Voluntatis enim est actus personæ quæ morte solvitur.

Verum hæc difficultas evanescit. Nam ex parte alienantis ut valeat alienatio non requiritur continuata voluntas post actum alienationis, sed solummodo requiritur voluntas quæ necessaria est ad complendum actum alienationis. Hinc in alienatione rite facta alienans omne jus amittit relate ad rem alienatam: et quodammodo dici potest mortuus relate ad rem ipsam. Non enim amplius sua est, sed aliena. Quare cum per testamentum alienatio compleatur in morte testatoris, sufficit ultimus actus voluntatis, nec requiritur continuatio voluntatis posthumæ. Incipit autem testamentum vires suas exercere post mortem testatoris, quia mors est quæ determinat ultimum actum voluntatis.